DE

FACILI LINGVAM HEBRAICAM
DOCENDI DISCENDIQVE RATIONE

DISSERTATIO

QVAM

PERMITTENTE

AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHICO

H. L. Q. C.

D. I. OCTOBR. CIↃIↃCCLXXVII

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

M. GEORGIVS GVILIELMVS KIRSCHIVS

CVRIANVS

CVM

RESPONDENTE

MICHAELE WEBERO

GROEBENA-MISNICO

Philologia Sacra
a/ de Lingua hebr:
4

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMII

ngu. Semit.
210/14

Philol. hebr. 114. (9)

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden

http://digital.slub-dresden.de/ppn334882117/1

gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/ppn334882117/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Rationi, qua in docendis discendisque linguis vti soleмus, multum ineſſe poſſe et ſubſidii et impedimenti, diu cognitum perſpectumque eſt. Nemo autem per longas ambages tortuoſosque circuitus eo contendit, quo recta aut certe breuiori via peruenire potuiſſet. Methodus igitur linguae hebraicae, Theologo adeo neceſſariae, omni dubio procul digna eſt, quae ſit aut fiat facillima. Licet vero non omnes ii, qui hebraica docent et diſcunt, eandem viam capeſſant, ſed multi ſua ipſorum propria ſequantur principia, vna tamen et conſtans quaedam docendi ratio inde a multo tempore inualuit et obtinuit, eademque haec tanta annorum ſerie et temporis auctoritate adeo confirmata eſt, vt de ea vel mutanda vel emendanda nemo ne cogitare quidem poſſe videatur. Qualis haec ſit, non opus eſt, vt copioſius exponamus. Quod vbique fere reperire licet, id vt inuenias, multis verbis deſcribere non conuenit. Quamuis vero non audeam totam illam docendi diſcendique rationem improbare nec iure meritoque hoc facere poſſem; animus tamen non refugit confiteri, varia mihi viſa eſſe in illa contineri, quae impediant, quominus iſta methodus tam facilis ſit, quam eſſe poſſet. Faciam igitur periculum, et non tantum, quae obſtacula inuenerim, ſed etiam, quomodo ea remouenda eſſe putem, indicabo. Si ſperare nefas eſt, certe opto, vt diſcentes huius methodi ope facilius linguae hebraicae cognitionem ſibi acquirant.

Dico tantum, me optare, vt adiumento ſit, non vero, fieri poſſe, vt omnes difficultates, quae efficiunt, vt pauciores huic linguae operam nauent, hoc modo e medio tollantur. Huius enim rei cauſas non omnes docendi methodo adſcribo. Nam, niſi me prorſus fallit opinio, varia etiam impedimenta in praeiudicatis hominum opinionibus, alia in horum temporum moribus non probandis, alia in eruditionis ambitu, eruditorumque ſtatu, alia denique in natura linguae ipſa deteguntur. Ad haec omnia remouenda mihi perſuadeo hominibus non ſatis eſſe virium. Nihilo tamen minus docendi rationem multa conferre poſſe veriſimile eſt, vt linguae hebraicae cognitio ſit minus impedita. Videamus igitur, *quae ſit facilis linguam hebraicam docendi diſcendique ratio.*

Inſtitutum.

Propoſitiones fundamentales de facili docendi ratione.

§. II. Vt autem in conſueta ratione varia omittenda, alia vero corrigenda eſſe cenſeam, efficiunt hae, quae ex facilis methodi notione ſponte fluunt, propoſitiones ſequentes:

Propoſitio I.

Bene docentis eſt, ita docere, vt diſcipuli difficultates, quae in lingua occurrunt, quam minime ſentiant et hoc ipſum in dies magis magisque, ſi fieri poſſit, efficere obſtrictus eſt. Laborem enim cum plerique hominum fugiant, fieri poſſet, vt taedium in iis excitetur et linguae cognitio prorſus impediatur, certe retardetur, docentis culpa. Quo minus autem vires debilitantur, eo magis ad multa addiſcenda idoneae ſunt, eo maior eſt voluptas, quam ex lingua diſcentes capiunt, eo maior attentio et intelligendi facultas, eo breuior via, eo melior docendi ratio.

Propoſitio II.

§. III. Quo magis lingua ea, quam aliquis docet, recedit ab ea, quae diſcentium vernacula eſt, cuique igitur maxime adſueti ſunt, et quo magis optandum eſt, vt magnus eorum numerus illi operam ſuam det eamque ſolide diſcat, eo magis diſcipulos ſuos adiuuare tenetur. Naſcuntur enim

hac

hac ratione plures difficultates, quas minuere, boni praeceptoris est.

§. IV. Omnis cura adhibenda est, vt discipulus, quam citissime fieri potest, linguae discendae partem aliquam intelligat et vertere incipiat. Haec enim est illa meta, quam continuo spectat, quorsum omnes suos gressus dirigit. Gaudet et eo magis cursum accelerat, quam primum intelligit, se a scopo non multum abesse, aut sibi persuadet, se breui voti sui participem esse futurum; desperat autem, certe fervor eius deflagrat, vbi animaduertat, diu adhuc ipsi sudandum esse et terminum vltimum deregi vix posse. *Propositio III.*

§. V. Curandum igitur, vt minime regularum multitudine aut obruatur aut per longum tempus occupetur, sed videndum potius, vt, applicandis interdum ad exempla et textus quosdam regulis, lassitudine sua, qua laborat, quasi liberetur, nouasque vires colligat. *Propositio IIII.*

§. VI. Omnes igitur diuisiones, omnia nomina, modi considerationis, conditiones et exceptiones, quae quidem verae et satis firmae sunt, sed tamen ita comparatae, vt, quamvis non commemorentur, festinatio illa, cui studemus, non inhibeatur, quae exempla et voces continent, rarius tantum occurrentes, quibusque ab initio non adeo opus est; omnia ea omittenda et essentialia tantum et necessaria proponenda sunt, vt discipulus eo, quo peruenire debet, gradatim perducatur. *Propositio V.*

§. VII. Ductus igitur his principiis, quae longa probatione non indigent, varia immutanda esse existimo. Maximum semper impedimentum mihi visum est,

1) quod, quicunque linguam hebraicam discere cupit, a limine quasi templi hebraici retroagatur, cum videat aut iam sentiat, quae suis humeris imponantur onera. Cogitet enim aliquis, quae discipulus in lectione statim offendat, *De impedimentis consuetae docendi rationis.*

fendat obſtacula. Literae hebraicae ſunt nouum prorſus et peregrinum oculis eius ſpectaculum. Literae germanicae a latinis vix differunt, latinae cum graecis conveniunt magna ex parte, et literae ceterarum linguarum, quae in Europa ſaepiſſime addiſcuntur, nihil fere aliud ſunt, quam latinae; in hebraicis vix eſt vlla, quam coniectura aſſequi poſſit. Sunt praeterea inter eas, quae a tirone difficile diſcernantur, quia tantum apice quodam aut curuitate, magnitudine aut apertura vix notabili diſtinguuntur. Idem ei accidit in punctis. Iubetur a dextra ſiniſtram verſus legere, et Schuatis mobilis et quieſcentis pronuntiationem non negligere. Perturbatio eius augetur, quod non modo puncta ſub lineis, ſed ſuper illis etiam, quae quorſum referat, dubius haeret, conſpiciat, imo in literarum ventre animaduertat alia, quorum hoc negligi, illud vero probe obſeruandum et exprimendum eſſe, monetur. Etiamſi ex his tricis paullulum ſe expediat, obſtat ei, quod, vbi tonus ſit, plerumque ex regulis, quas edoctus eſt, quasque applicare conatur, non ſat cito cognoſcat. Praeceptor eius ſi adeſt, poteſt auxiliari aut multa etiam praetermittere et futuro tempori ſeruare, nihilo tamen minus lectio fit tarda, laborioſa, taedii plena. Sentit diſcipulus nimium, quantum neſciat, forte etiam, licet non ſolide, argumentatur; haec ſi iam in lectione accidant, multo grauiora et aſperiora ſecutura eſſe. Accedit, quod domi hac in re nihil proficere poſſit, cum lapide lydio careat, quo, num voces recte legerit et pronuntiauerit, exploret. Experientia quotidiana docet, has non eſſe vanas querelas. Quot enim, quaeſo, ex magno numero eorum, qui hebraico ſtudio ſe dederunt, ſunt, qui eadem, qua in reliquis linguis fieri ſolet, celeritate legant,

gant? Vnde hoc, nisi ex eo, quod difficilior sit hebraica lectio? Neutiquam igitur reprehendendus videbor, cum magnum impedimentum esse dixi.

2) non probandam deinde iudico eam, quam in vsitata docendi ratione adhibent *αυριβειαν*, qua multae diuisiones, conditiones, quae modo systematis explendi causa adiectae sunt, docentur, quas discentes sine vllo damno ab initio ignorare possent.

3) valde eosdem retardari puto copiosa illa verborum analysi. Praeter id enim, quod multum temporis exponendis illis, ad quas referuntur, regulis consumitur, efficit, vt discipuli perpetuo fere circa voces haereant et quamprimum vocabula hebraica conspiciant, de iis resoluendis et regulis, quibus hoc fiat, cogitent; impedit porro, quominus ad maioris momenti res progrediantur, ad lectionem multorum capitum, totius libri pluriumque pergant, copiam vocabulorum comparent, linguae vsum loquendi, in quo cardo rei versatur, et qui non vno alteroue resoluto vocabulo, sed frequenti et diligenti lectione discitur, genium linguae, ad eumque pertinentes idiotismos intelligant, his subsidiis id discrimen, quo hebraica lingua a reliquis aperte recedit, obseruent et horum omnium ope interpretandae Scripturae Sacrae fiant idonei; imo forte iis persuadet, omnem huius linguae cognitionem esse in analyseos scientia, eamque qui teneat, reliquis posse commode carere.

De duplici cursu grammatico.

§. VIII. Vt igitur haec via breuior et minus molesta sit, exponam iam, quid in lectione, doctrina de nomine, pronomine et verbo hoc consilio agendum, me quidem iudice, putem et qua ratione per gradus ad huius linguae cognitionem adscendatur. Vtile autem quinimo necessarium duco du-

duplicem inſtituere curſum grammaticum, quorum primus nihil contineat, quod non eſſet adeo neceſſarium, vt ſine eo verborum frequentiſſimorum ſenſus intelligi non poſſit, ſecundus autem omnia ea adiiciat, quae quidem ſcire intereſt noſtra, ſed quae rariora aut nomina technica eſſent et ad ambitum grammaticum pertinerent et ad aliorum libros intelligendos requirerentur. Primum igitur de lectione.

De lectione faciliori.

§. IX. Lectio hebraica, ſi comparetur cum aliis partibus, quae in lingua hebraica vel difficiles dicuntur vel eſſe putantur, haud dubie eſt omnium difficillima. [a]) Inde fit, vt praeiudicatam illam opinionem de nimia huius linguae difficultate magna ex parte originem traxiſſe putem ex lectione impedita. [b]) Experientia hac in re *fida teſtis eſt.* Nam

a) Hanc ſententiam confirmat Illuſtr. Michaelis ſua experientia in libro: Beurtheilung der Mittel, die man anwendet die ausgeſtorbene hebräiſche Sprache zu erlernen. §. 59. Verba eius, quae in eiusmodi rebus plurimum ponderis habere debent, non adſcribere non poſſum. Sunt autem haec: — — ſondern man wird auch das Leſen fertig lernen, womit die gröſte Schwierigkeit im hebräiſchen überwunden und man im Stande iſt, andern Collegiis mit Nutzen beyzuwohnen. Ich finde meiſtentheils, daß bey denen, welchen eine morgenländiſche Sprache ſchwer wird, der Fehler im Leſen ſtecke.

b) Celeb. Linckius in ſuo libello, quem hoc ipſo anno edidit: über das hebräiſche Sprachſtudium, contulit elementa hebraica cum graecis et latinis et oſtendit, faciliora ea eſſe, certe non difficiliora graecis. Quod igitur lingua hebraica tam difficilis dicatur, eius rei omnem culpam in conſuetam docendi rationem confert. Quamvis autem non infitias eamus, methodum vulgarem, quam deſcripſit, non probandam eſſe et lubenti animo concedamus, hebraica elementa difficiliora graecis nullo modo dici poſſe, in diuerſam tamen ſententiam diſcedere cogimur, cum eandem facilitatem lectioni graecae et hebraicae ineſſe contendat. Nam etiamſi quis largiatur, aequalem eſſe numerum partium, quibus doctrina lectionis graecae et hebraicae continetur, quatenus diſcipulo huius linguae initia diſcenti neceſſaria eſt, maxima tamen impedimenta in earum figura et modo inueniri affirmabit.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn334882117/8 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Nam ii etiam discipuli, quos aliis ingenii vi praestare constat, quosque segnitiei insimulare non possumus, multum tamen temporis circa lectionem haerent. Eo magis igitur docentes discentibus opem ferre tenentur, cum non solum per se lectio sit difficilior, quam in aliis linguis, sed praeiudiciis etiam augeatur eiusdem difficultas. Ad cognitionem igitur consonantium faciliorem reddendam conducere arbitror,

1) si literae discipulis non suis viribus addiscendae tradantur. Vellem potius, vt praeceptor ipse eos doceret illas, non tamen ita, vt forsan figuras vna cum earum nominibus tabulae inscribat hocque feciſſe satis habeat. Hoc enim nihil aliud esset, quam chartulam ex grammatica exsecare et tabulae affigere. Optarem deinde, vt
2) omnia literarum nomina omittat. Quamuis enim alio tempore ea scire referat nostra, non tamen in primo cursu necessaria sunt. Potest aliquis bene et accurate legere et illa omnia ignorare. Imo experientia compertum est, ridiculas nonnunquam inde exoriri sententias, multisque mirum videri, quae tandem futura sit hebraea lectio, cum literarum nomina tam longa sint. Sed ita agat, vt
3) neglecto literarum ordine, qui in libris reperitur, quamlibet literam ad discipuli vernaculam statim referat et obseruet, semper aliquid in quacumque fere litera addendum esse, quo nouitatis studium et discendi cupiditas excitetur, neque sufficere existimet, cum dicat tantum: haec est (b) Germanorum, haec (d), illa (g). Nam omnia ea, quae cum magna oculorum animique intentione considerauimus, facillime memoriae inhaerescunt, eaque retinentur; et ex imaginationis legibus constat, illa simul in mentem redire, quae coniunctim cum aliis, quae at-

tentionem noſtram excitarent, et quae nunc recordamur, cogitata ſunt; ea autem, quae nuda et omnibus aliis notis et ſignis priuata memoriae tradita fuerunt, facillime ex ea elabi et difficillime reſuſcitari. In his autem, quas literis affigendas eſſe putamus, appendicibus, quilibet ſuo ingenio et voluptati indulgere poteſt. Similitudo literarum, difficultas eas diſcernendi, id, quod prae reliquis habent inſolitum, quae germanis pronuntiatu ſunt difficillimae, quarum ſonum plerumque ignoramus, modus, quo alia ex alia exſiſtat, ſi paullulum tantum immutentur, ſatis praebent materiae. Varietas, quae in plurimis rebus iucunda eſt, magno adiumento erit, ſi docens ea vti velit.

Ne autem alio loco rurſus de finalibus et dilatabilibus dicendum ſit, cum haec occaſio maxime ſit opportuna,
4) eo ipſo tempore, cum mutabilem quandam monſtrauerimus, et eius forma mutata addenda eſt.
Quae ſi quis obſeruet, experietur, etiam tenellos pueros magna cum voluptate literas arripere et, quae ipſos alio tempore moleſtia affeciſſent et taedio repleuiſſent, ſine vllo laboris ſenſu iucunda fuiſſe. Hoc autem vtile eſſe, apparet ex §. 2. c)

§. X.

c) Adiunct. Vogelius in introductione, quam grammaticae ſuae praepoſuit, duos modos commemorat, quibus docentes in literis addiſcendis diſcipulos ſuos adiuuarent. Qui primo vterentur eos dicit comparare figuras literarum cum illis rebus, quae conſonarum nominibus ſignificantur. v. g. (א) cum capite bouino eoque cornuto, ב cnm domo hebraica. Quamquam autem Frommannus, (quod legere licet in eius programmate: de cauſis nominum literarum hebraicarum ex primo et antiquiſſimo ſcribendi genere demonſtratis Coburgi 1757. edito) aſſerit, literis a rerum imaginibus, quas referrent, impoſita fuiſſe nomina; Vogelius tamen hoc non ſolum negat, ſed totam etiam rationem inutilem eſſe dicit, quia opus eſſet, vt diſcipulus antea harum rerum ſignificationes diſceret, ſi

§. X. Literis satis cognitis quid aliud agendum et adiungendum quam vocalium notitia? in qua non habeo, quod ad consuetam rationem addendum existimarem, nisi hoc, vt moneam, non modo veras vocales, sed etiam Schua simplex et compositum proponendum et dicendum esse, illud veram vocalem dici non posse, sed ibi reperiri, vbi vera vocalis desit; simplicis sonum, si vllibi sonet, esse (e) leniſſimum et nunquam pronuntiari, nisi, vbi ea litera, sub qua inuenitur, sine eiusmodi (e) leniſſimo audiri nequeat; si vocalibus (ֶ) et (ֵ) affigatur, eius accessione sonum earum non mutari, (ֵי) vero in omnibus locis esse (o). Huc etiam pertinet, quod (ִי) nonnunquam (ִי) amittat eiusque punctum in summis literis relinquatur et semper pronuntietur vt (o). *De vocalibus.*

§. XI. Haec iam sufficiunt, vt discipulus in lectione exerceatur, non quidem in codice ipso, sed alio modo. *De lectionis subsidiis.*

1) Conscribendi sunt literis hebraicis, vti ego quidem opinor, versus multi linguae discentium vernaculae iique ad legendum proponendi. Cum nihil in his vocibus inueniatur, quam literae, quas norunt, et puncta, quae non minus sciunt, non potest non lectio bene procedere.

 2) di-

si hoc adminiculo figurarum valorem recordari velit, quod a discipulo initia linguae discenti postulari non posset. Secundus modus literas hebraicas cum graecis aut latinis confert et earum similitudinem ostendit. Priori illa vtique hanc faciliorem esse affirmat, nihilo tamen minus eam respuit, quia laudata illa similitudo non animaduerteretur, nisi literae hebraicae antea valde mutentur. Concludit igitur, discipulum solo intuitu suaque sponte literas discere debere. Nos vero non ita sentimus. Possunt hi duo priores modi multum difficultatis habere, imo tam inepti esse, vt iis prorsus vti non liceat, sed datur tertium, imo forte quartum. Quodsi enim feceris ita, vti nos consuluimus, et animos discentium modo hac modo illa ratione ad literas contemplandas excitaueris, proficies absque dubio. Nituntur haec experientia.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn334882117/11 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

2) dictandos puto alios germanicos versus in calamum et praecipiendum, vt eos hebraica veste amiciant. [d])

Neminem fugit, hanc methodum etiam in aliis linguis vsitatam esse. Habet praeterea aliquid suauitatis, qua animos discentium allicit et occasionem illis praebet largissimam et iucundissimam literas, si quas nondum recte noscant, discendi et sibi comparandi facultatem legendi maiorem. Possunt praeterea domi proficere, cum, vtrum recte legerint, nec ne, penes ipsos sit iudica e.

Qui autem hoc facere velit, intelliget ipso facto, non omnia germanica vocabula hebraice scribi posse, quia hebraica lingua a germanica multum discrepat. Ne igitur nouas difficultates hac ipsa ratione addamus aut certe admisceamus, quae superflua et aliena sunt, videndum est,

1) ne qua literas insit, quae inter hebraicas plane non inueniatur aut tam bene exprimi non possit. Variae sunt in nostra, quas Hebraeus non habet. Iudaeus caret, quod Arabi non accidit v. g. litera (f). Inseruiret huic fini (פ), quae litera multis in locis pro (f) adhiberetur, sed non danda occasio falsam alicuius literae formandi ideam. Nam accurata huius literae significatio non est (f), alias enim in omnibus locis ita esset sono efferenda. Similis est

d) Inter germanos cum scribam, haec suadere possum. Lingua enim germanica huic consilio satis apta est. Nam etsi multas diphthongos habeat et plura alia, quae in hebraica non reperiuntur; iis tamen vocibus omissis, in quibus eiusmodi impedimenta occurrunt, sat multae aliae relinquuntur, quae hebraicis perquam similes sunt. In variis linguis v. g. gallica et italica, haec minus locum habent, licet in italica magis, quam in gallica. Nam cum illa, si pronuntiationem omnium literarum, quae vocem efficiunt, spectes, propius ad nostram, quam haec, accedat; gallica huic rei prorsus inepta esse videtur, quia non tantum multos sonos habet, quia in hebraica non occurrunt, sed multas etiam consonas scribit, quae non pronuntiantur.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn334882117/12 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

eſt (ש) Germanorum aliaeque plures. Modo Ebraeo-Germanico, qui a Iudaeis adhiberi ſolet, exprimi quidem poſſe omnes has, (f) per (פּ) et (ש) per (שׂ), aliasque cunctas, quae deſunt, eodem pacto, quis eſt, quem hoc lateat? Sed cur difficultates augeremus, quibus non opus eſt.

Cum etiam conſtet, in lingua hebraica, ſecus ac in arabica et ſyriaca ex vſu recepto, diphthongos non inveniri, *danda eſt opera, ne*

2) inſit in vocibus, quas hebraicis literis ſcribere iubes, diphthongus in germanicis vocabulis frequentiſſima. Nec ea de cauſa ad ebraeo-germanicam ſcribendi rationem confugias. Impediunt te eaedem, quas modo allegauimus, cauſae.

3) eligantur voces, quarum ſyllabae, quam maxime fieri poteſt, ad hebraearum naturam accedant; quod eo ſpectat, ne plures conſonae quam vna aut duae cum vno puncto vocali copulentur ab initio. Turbaret enim hoc ipſum hebraeam legendi rationem, quae in hac re etiam a germanica recedit, in qua ſaepius quatuor, quid? quod ſeptem conſonantes, cum vna vocali connectuntur.

§. XII. Interea, cum diſcipuli lectione occupentur et exerceantur, reliqua, quae ſcitu digna ſunt, poſſunt adiungi. De literis igitur quieſcibilibus haec: *De literis quieſcibilibus.*

1) (א) et (ה), ſi vocali carent et (ְ), et (ה) non habet punctum impreſſum, non leguntur.

2) (ו) non legitur poſt (ֵ) et (ֶ) et inter (ו) et (ֹ)

Quod ſi enim in doctrina de punctis dixerimus, (וֹ) et (וּ) eſſe vocales, quae ſonent (o) et (i), nullus diſcipulorum τὸ (ו) ſeorſim legere conabitur, ac ſi cum illo puncto, quod in capite gerit, non vnam vocalem efficeret. Similiter in (וּ).

De puncto Mappik.

§. XIII. De puncto Mappik haec vero:

Si in litera (ה), quae in fine vocum conſpicitur, punctum impreſſum ſit, non negligitur in legendo aut pro abſenti habetur, vt alias, ſed exprimitur ſono, quoad fieri poteſt.

Paucula haec de Mappik ideo omittere non licitum eſt, quia hoc punctum ſaepiſſime in pronomine feminino tertiae perſonae occurrit.

De Dageſch. §. XIV. Doctrina de Dageſch *his paucis abſoluitur.*

Si punctum in media litera, quae ה finale non eſt, invenitur,

1) duplicat literam, ablato antea ex litera ſono (h), ſi hunc habuerit, hac tamen conditione, ſi eam literam, cui impreſſum eſt, praecedat vera vocalis.
2) ſi vera vocalis *non* praecedat et hanc ob cauſam vbique ab initio vocis, aufert tantum adſpirationem.

Ceteras conditiones, quibus Dageſch forte et lene adſtringuntur, ſuperfluas duco in *primo curſu; nec minus, num* ſit characteriſticum, compenſatiuum aut denique euphonicum.

De tono §. XV. Doctrina de tono, cuius applicatio diſcentes multum in legendo retardat, facillima fit, ſimulac accentuum collocationi obſeruandae *diſcipulos aſſuefeceris.* Licet enim non ignorem, hanc regulam *non* eſſe prorſus vniuerſalem, commoda tamen, quae exinde promanant, magni facienda ſunt. [e]) nam

1) eſt

e) Habeo, qui hanc ſententiam probet, magnum virum, Michaelem, qui in libello, cui titulum fecit: von der ſyriſchen Sprache und deren Gebrauche, n. 6. p. 25., vbi de iis, quae in lingua Syriaca faciliora ſunt, in hebraica difficiliora, dicit, ita ſcripſit: Die ſyriſchen Regeln vom Ton ſind ſehr kurz und einfach, allein die hebräiſchen vielfältig und willkührlich, voll Ausnahmen und neuen Ausnahmen von den Exceptionen der Exceptionen, ſo, daß man doch

am

1) eſt ſignum, cuius praeſentia in plurimis locis verum toni locum docet.
2) diſcipuli eius ope breuiori tempore recte pronuntiare valent et celerius, quam ſi grammaticas de tono ſequerentur regulas et exceptiones.
3) vſus hic eos paullo poſt eo perducit, vt etiam ea vocabula, quorum accentus toni ſedem non indicat, recte pronuntient.

Cum lectio et verſio *primum* plerumque in libro quodam proſaico inſtituantur, tonus eſſet ita docendus:

Quamprimum ſcire cupio, vbi tonus ſit, circumſpicio, num

1) adſit *ſupra lineam* vnus ex his accentibus (˝) (˜) (ˈ) non duplicatus, et (ˌ), qui ſemper vltimam vocis literam occupant, porro (ˏ), qui primae ſemper inſidet, *infra lineam* vero ante primam vocis vocalem (ˎ); quorum ſi quis adeſt, vocem ex ſolo accentu legere non poſſum.
2) ſi duo accentus inueniuntur ſupra lineam, video, quales ſint: ſi reperiam
   a) (˝), (˜˜), (˝˝), (ˌˌ), tonus eſt in ea ſyllaba, ſuper qua eſt primus, ſi a dextra ſiniſtram verſus computes.
   b) (ˈˈ), tonus eſt in ea ſyllaba, ſuper qua ſecundus accentus conſpicitur.
3) ſi duo accentus ſint in eadem voce, ſupra lineam et infra eam, tonus eſt in ea ſyllaba, quam ſecundus accentus occupat.
4) ſi duo ſint accentus infra lineam, tonus eſt in ea, quae ſecundum habet.
5) ſi vnus modo accentus adſit et ille non ſit vnus ex his ſu-

am Ende, wenn man genau ſeyn will, ſeine Zuflucht zu den Accenten nehmen, und auch wohl die Accentuation als eine Zugabe zu der Grammatic lernen muß.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn334882117/15 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ſuperius notatis, tonus eſt in ea ſyllaba, quae accentum gerit.

Non negatur, exempla occurrere poſſe et occurrere reuera, quae ex his diiudicari non queant. Sed memores ſimus, in primo curſu rariora locum non habere. Nomina accentuum ſimul ſcire non neceſſe eſt.

De ſyllabis. §. XVI. De ſyllabis docenda ſunt, quae vtique docentur:

Syllaba compoſita dicitur, in qua vltimum ſonat litera, ſimplex vero, quae *in vocalis ſonum definit*, ideoque etiam eae, in quibus eſt litera, quae non legitur.

De Metheg. §. XVII. De Metheg nihil monendum eſſe arbitror primo curſu niſi hoc, inueniri quoque nonnunquam lineolam perpendicularem vocalibus adiectam, quae nihil in earum pronuntiatione mutet, ſed tamen *plane praetermitti* non poſſit. Num vero *adſtrictum* vel laxum ſit, ſupernacaneum habeo querere.

De lineola Makkeph. §. XVIII. Lineola Makkeph non omittenda eſſe videtur. Sunt etiam pauca, quae de illa dicantur. Ergo:

Lineola iſta transuerſa, quae in ſummis literis animaduertitur, hanc habet vim, vt eam vocem, quam dextra parte attingit, arctius copulet cum ſequenti, a praecedenti tonum auferat illamque igitur priuet accentu.

De Kamez catuph. §. XIX. Si de Kamez catuph quaeritur, partem tantum conditionum neceſſariam duco, reliquam tum, cum ea, ex quibus explicentur et intelligantur, antea fuerunt propoſita, quod in lectione nondum factum eſt. Sufficiant igitur haec: Figura (ָ) legitur (o)

1) cum eſt in ſyllaba compoſita tono deſtituta et Metheg.
2) in ſyllaba compoſita finali, quae cum voce ſeqnenti per lineolam Makkeph coniungitur et cuius vltima litera *non* eſt (א) et (ה), quaeque non habet Metheg.
3) ſi eſt ante (ְ:)

§. XX.

§. XX. Vtile erit et has notas diacriticas, quae ad legendum requiruntur, in vocibus, quas hebraicis literis deſcripſiſti, exprimere, vt continuo ad gradum altiorem adſcendatur cum minima qua fieri poteſt moleſtia. Forte etiam conduceret, cum ad accentuum obſeruationem perventum eſt, ſententias quasdam latinas aut graecas hebraica forma inueſtire, vt, (ſi has linguas iam diſcere incepe-rint et in iis profecerint, quod plerumque, antequam ad hebraicam linguam diſcendam animum appellant, iam factum eſt) voces legendae fiant aliquantulum peregrinae et legentes accentus obſeruare cogantur, quod, cum voces germanicas legerent, non opus erat, quia tonum, ſine adhibita opera, recte collocabant. In hac autem lectione eam ob cauſam minus difficultatis ineſt, quam in hebraea, quia facilius ex vocibus ipſis earumque ſenſu cognoſcere queunt, vtrum recte, an male legerint. *De notis diacriticis.*

Hac ipſa voces germanicas hebraice ſcribendi ratione commode doceretur, quot literae ſimul in vnam ſyllabam hebraicam comprehendendae ſint et quomodo Schua mobile legi, quieſcens vero non legi debeat.

Diſcipulo autem in his ſatis exercitato, ad legendum codicem ſacrum cum facilitate multa ſine impedimento pergere poterit.

§. XXI. Non timeo, ne quis hanc lectionis methodum minus decentem, imo indignam iudicet eo, qui alias ſeria tractaret. Quid enim? Licetne auſteritate ſua viam, quae iucunda eſſe poteſt, aſperam reddere? Si quis boni praeceptoris, qualis eſſe cupit, officiis ſatisfacere velit, poteſtne ea ſubſidia, quibus diſcipulorum commodis inſeruitur, praetermittere? Ludere dicimur tum, cum temporis ſuauiter tranſigendi cauſa, et ne otii taedium ſentiamus, rebus occupamur, ad quas efficiendas ſatis habemus virium et quae *Obiectionis refutatio.*

non nimis moleſtae ſunt. Non igitur luditur, cum adminiculis, quibus fines noſtros et grauis momenti et ſerios commodius obtinemus, vtimur. Et quaenam tandem eſſent illa ludicra? Eſſentne in eo, quod praeceptor ipſe literas doceat? quod ad literas citius memoriae diſcentium imprimendas addat ea, quae obliuionem earum impediant? an voces germanicae? aut harum cum literis hebraicis coniunctio? Haec ſi ſunt luſui ſimilia, egregie luſerunt Lexicographi, qui cum hebraica verba illuſtrare conarentur, appoſitis vocibus arabicis, has literis hebraicis ſcriberent, absque dubio hoc conſilio, vt conuenientia verborum melius appareret. Mirum in modum luſit ille, qui textum hebraeum literis Samaritanis deſcriberet et Origenes excuſandus non eſt, quod textum hebraeum graeca veſte circumdaret aut circumdandum curaret.

De formis nominum proponendis.

§. XXII. Praemiſſa hac lectione et diſcentibus in ea ſatis firmatis, ad cognitionem mutationum, quas in partibus linguae eſſentialibus deprehendimus, progrediendum eſt. Initium autem optime fieri arbitror exhibendis omnibus, quae a verbis regularibus et irregularibus deriuantur, ſubſtantiuorum et adiectiuorum formis. Dicendum itaque eſt philebraeis, verba omnium maxime attentione et ſtudio noſtro eſſe digniſſima. Praeter id enim, quod magnam linguae partem efficiant ipſa, eſſe eadem quoque fontes nominum ſubſtantiuorum et adiectiuorum; quodlibet eorum habere tantum tres literas et, quales hae ſint, probe conſiderandum eſſe; alias enim atque alias nominum formas exiſtere, cum prima ſit (נ), ſecunda (ר), aut ſimilis tertiae, et tertia tandem (א) vel (ה). Proponendae ſunt deinde formae ipſae, ita, vt primum, quod per ſe patet, ex verbo regulari prouenientes, poſtea irregulares exhibeantur. Non autem ſtatim relinquendae ſunt, ſimul ac eas propoſueris.

Immo-

Immorandum iis magna diligentia et ostendendum est, quae in qualibet forma sint literae essentiales et accessoriae ex vtraque parte, quomodo formae verborum irregularium a regularibus differant, quae literae perierint, quae formae, quamuis a diuersis radicibus suam trahant originem, tamen conueniant, et quomodo, si nomen proponatur, iudicetur, ex quonam fonte profluxerit.

In adiectiuis simul eorum feminina apponenda puto, ne deinde noua de motione adiectiuorum instituenda sit tractatio.

Cur autem formas verborum post lectionem statim exhibere oporteat, has habeo causas:

1) Magna difficultas in hebraica lingua, quod in aliis Europaeis maxime vsitatis non ita fit, ex eo enascitur, quod voces et ab initio et in fine tantopere augeantur et eorum puncta tam valde mutentur, vt magna attentione opus sit, si discernere velis, quid nomini proprium, quid aduentitium sit habendum. Inde fit etiam, vt ii, v. g. qui italicam, anglicam, gallicam, aliasque discunt, postquam declinationes et coniugationes memoria tenent, iam sua sponte multa intelligant, ii vero, qui omnem de punctorum mutatione, de declinatione et coniugatione doctrinam audiuerunt, non eadem facilitate procedere possint et tum demum incipiant plura intelligere, vbi sat multa nomina et verba tractauerint et eorum quasi vultum penitus cognouerint. Quid subest etiam causae, cur is, qui hebraicam callet, quamprimum textum inspexerit, quid nomen, quid verbum sit, animaduertat? Fac etiam, vt illud, de quo quaeritur, nomen ei plane ignotum aut non aeque cognitum sit, totus tamen verborum habitus illi adeo notus est, vt, quae sint adscititia, confestim videat. Eadem fere ratio est

nominum et verborum, quam in hominibus agnoſcendis obſeruare licet. Si hominis cuiusdam faciem, vultum, habitum ſemel tantum noueris, a te agnoſcetur, etiamſi vel diuerſiſſimis veſtibus amictus rurſus in conſpectum tuum veniat. Vt igitur diſcipulus ad hanc rem animum ſuum aduertat et temporis ſatis illi ſit ad nominum formas plane cognoſcendas, poſt lectionem ſtatim ita faciendum cenſeo.

2) Lexica etiam, quibus ad euoluenda vocabula vtuntur, cum non omnia ita comparata ſint, vt, ſi literarum ordinem et Alphabeti ſeriem ſequaris, voces tuas inuenias, et cum, ſi vel maxime ita comparata eſſent, eas tamen non cum ſuffixis et affixis, praeformatiuis et afformativis, niſi in perpaucis, reperias: probabile etiam hac de re videtur, vt moleſtia, qua afficiuntur, qui nimis diu voces ſuas quaerere coguntur, minuatur.

Erunt, qui formas nominum non prius ediſcendas putent, quam verborum flexio eorumque claſſes propoſitae ſint, vt eo magis, vnde deriuentur, pateat: ſed qui reputat, magno commodo diſcipulos priuari, ſi eo vſque formae reticeantur, donec nondum verba memoria teneant; methodum realem, qua doctrina eorum, quae alia efficiunt, eorum doctrinam, quae efficiuntur, praecedere debet, hac in re non praeferendam eſſe cenſebit.

Hoc addendum iudico, neceſſe eſſe ad diſcentium ingenium hac in re exercendum et hanc doctrinam eorum animis firmiter inculcandam, vt nomina cuiuscunque formationis illis praeſcribantur, quorum radices in lexicis quaerant, et hac ratione, antequam ad verba deueniant, nominum habitum et conditiones prorſus ediſcant.

§. XXIII. Reliqua, quae in nominum tractatione neceſſaria habeam, generis, numeri et ſtatus explicatione, me qui-

quidem iudice, continentur, ſuntque nullis difficultatibus impedita.

§. XXIV. Ad genus nominum declarandum, haec ſuffi- *De genere nominum.*
cere poſſunt:

Feminina ſunt

1) quae ex ſignificatione feminina ſunt,
2) quae terminantur in ־ָה, ־וֹת, ־ֹות, ־ִית etc.
3) reliqua ſunt maſculina,
4) quae communia ſunt aut frequentius feminina quam maſculina aut a regula omnimode recedunt, vſu et lectione ſunt addiſcenda.

Tam facilia haec omnia ſunt, vt paucis modo exemplis ad illuſtrandum opus ſit.

§. XXV. De numero dicendum, quod vbique docetur, *De numero nominum.*
nimirum:

1) ־ִים, ־וֹת et ־ַיִם eſſe notas pluralis et dualis numeri, ita tamen, vt non vbique, vbi has terminationes reperias, te inueniſſe putes pluralem; valere tamen hanc regulam in plurimis vocibus et fere in vniuerſum, eorumque, quae ſingularia ſint, perpauca eſſe.
2) ־ִים terminationem maſculinorum plerumque eſſe, ־וֹת femininorum, non tamen ſine exceptionibus, cum genus femininum habeat etiam ־ִים, et maſculinum ־וֹת.

§. XXVI. Ad ſtatum nominum cognoſcendum plerum- *De ſtatu nominum.*
que ſimul vocalium permutationis neceſſaria ducitur cognitio. Nos eius doctrinam ita explanandam eſſe exiſtimamus:

Si duo nomina hoc modo componantur, vt alterum, quod ſequitur, in noſtra aliisue linguis genitiuo efferendum ſit; accidit hoc, vt

1) ſi vox ſingularis ſit numeri et generis feminini et vltima litera non iam ſit ת, illa in ת mutetur et puncta alia apponantur.

2) ſi vox ſit maſculina, literae maneant, puncta mutentur,
3) ſi vox ſit pluralis dualisue numeri, terminatio (יִם) et (יִם_ַ) mutetur in (י_ַ), ſi vero
4) ſit feminina, et terminatio וֹת maneat et puncta tantum mutentur.

Quid? ergo in ſtatu nominum negligenda eſt prorſus diſtincta vocalium mutatio? Neutiquam hoc aſſero, imo volo, vt hi quatuor ſtatus, ſingularis et abſolutus et conſtructus cum *plurali vtriusque generis, iuxta ſe poſiti* tabula quadam exhibeantur et omnium earum formarum, in quibus quoad hos ſtatus aliquid memoratu et obſeruatu dignum eſt, exemplum ad minimum addatur vnum, nec ea nomina negligantur, in quibus ratione pluralis et ſtatus conſtructi multum eſt, quod a reliquis diſcrepet. Sed ohe! poſſet aliquis exclamare, pluralis abſoluti et conſtructi tam variae dantur ſpecies, vt multo melius ſit regulas eas diſcere et haec nomina ad earum normam formare. Non haec mea eſt ſententia. Quamuis enim *non diffitear*, multorum vocabulorum ſtatus, abſolutum et conſtructum, apponendos eſſe; habent tamen, praecipue ſi coniunctim ſpectentur, tantum ſimilitudinis, vt is, qui paucula modo exempla *didicerit, in reliquis neque obruatur, neque, illa* addiſcendo, moleſtia afficiatur nimia. Quod ſi autem haec minus curaueris, id tamen, quod §. 22. dictum eſt, vbi quaerebatur, quid cauſae ſit, cur poſt lectionem ſtatim formas nominum exhibendas eſſe mihi perſuadeam, multo maiori iure hic locum habet. Cum enim punctorum mutatio maxima ſit in ſtatu conſtructo et ſingulari et plurali, nemo non poteſt multum profeciſſe, ſimulac hos ſtatus non regulis, ſed exemplis intuendis tradidit memoriae. Cum haec igitur magni momenti res ſit, patet per ſe, non

prius

prius vlterius progrediendum esse, quam discipuli eam rite teneant.

§. XXVII. Hic locum opinor esse, vbi particularum tractatio inseratur, quo nomine non modo eas, quibus declinatio hebraica continetur, aut quae nominibus praefiguntur, sed et omnes eas, quas praepositiones, coniunctiones et aduerbia dicimus aut certe notatu dignissimas, hic positas esse velim. Hoc suaderem hac de causa. Non patiendum esse arbitror, vt doctrina, quam de quibusdam partibus linguae essentialibus dedimus, quiescat, sed opus est, vt, si fieri potest, ad textum quendam applicetur. Cum igitur praecedentia obseruata et numerus et status cum genere nominum traditi sint: particulae, quae alias numero modum non excedunt, inseruirent variis substantiuorum et adiectiuorum in statu et absoluto et constructo compositionibus, quae cognitioni discentium per gradus augendae perquam accommodatae essent. Si eas autem proponas, non vtile puto in vniuersum modo dicere, v. g. (ל) praefigitur per (ַ) sed potius: hae sunt τοῦ (ל) praefigendi rationes: לָאָדָם, לַעֲשׂוֹת, לִבְנֵי־אָדָם, לְמֶלֶךְ, aut: מִן si ad nomina accedit, ita se habet מִן־הָאָרֶץ, מִבָּנַי, מֵאָדָם, מֵעֵבֶר. Potes, si vis, cur ita fiat, rationes addere, non autem primo cursu postulatur. Cupimus enim hoc tantum efficere, et discipulus, qui, quae nominibus propria sint, iam nouit, eas discernat et particulas esse agnoscat, non autem conturbetur, si eas modo hac, modo alia ratione videat praefixas.

De particularum doctrina.

Insunt in hac particularum doctrina, ex quibus intelligatur, quando figura Kamez vt (o) legi non possit. Ergo haec conditio, oblata tam commoda occasione, addenda erit, nempe:

Vocalis (ַ) omnium praefixorum aut particularum

quae

quae vocibus praeponuntur, et, quod exinde ſequitur, earum pars eſſentialis non ſunt, quaeque alias per (_) ſequenti Dageſch praefiguntur, legenda eſt (a), non (o), quamvis ſit ante (ָ) aut Kamez catuph.

De pronominibus.

§. XXVIII. Quae de pronominibus dicenda ſunt, breui et facile poſſunt tradi et eadem ratione diſci. Abſtinendum enim, me quidem iudice, omnibus pronominum diviſionibus, quae linguam hebraicam diſcentibus magni momenti viderentur eſſe, nec ſunt. *Credo potius, vti in reliquis factum eſt, profuturum, ſi modo dicatur:* אֲנִי et אָנֹכִי ſignificant *ego*, habent in plurali אֲנַחְנוּ, נַחְנוּ, aut: (ה), ſi nominibus praefigatur, vt הַזֶּה, הַסֵּפֶר, aut ita: הָאָדָם, aut ita: הָעֲרִים, denotat 1) aut pronomen demonſtratiuum cuiuscunque generis et numeri, aut 2) ſaepius nihil aliud, quam germanorum et graecorum articulum, aut 3) etiam germanorum (ein) non-numerale. Sic etiam in reliquis. Nec in ſuffixis plus impedimenti eſt. Poſtquam enim, qualia ipſa ſint, conſideratum eſt, et memoriae mandata ſunt monitumque eſt, ה vocabulorum femininorum finale, ſi ſuffixa apponantur, in ת mutari, terminationes autem pluralis et dualis maſculinas plane tolli, nulla re opus eſt amplius, *niſi vt exempla ſatis multa nominum cum ſuffixis proponantur*, et particulae cum iisdem iunctae exhibeantur, eae inprimis, quas veriſimile eſt diſcipulum non tanquam particulas ſuffixis nexas conſideraturum fuiſſe, veluti בָּנוּ, לָנוּ, quas deceptus aut pro nominibus aut, poſteaquam verba didicit, pro verbis habere potuiſſet. Non quidem ignoramus, ſuffixis accedentibus, puncta etiam mutari, diſcipulo autem, qui vocalium permutationem *in ſtatu conſtructo* vidit et mente retinuit, ea in *ſuffixis neque* peregrina neque difficilis eſſe poteſt.

§. XXIX.

De verbis regularibus et irregularibus.

§. XXIX. Verborum regularium et irregularium plerumque longam et moleſtam inſtitui tractationem, non dubium eſt. Ea autem nos facile carere poſſe, audeo affirmare. Quod ad illam ſe accingant, primaria cauſa absque dubio eſt critica noſtra linguam hebraicam docendi conſuetudo, qua mihi neſcio quod omnia probandi et ex principiis indubitatis deriuandi ſtudium affectare videmur; deinde etiam ad illam confugere coguntur, cum videant verborum irregularium copiam, quam diſcentibus memoriter alio tempore recitandam tradere, nimis laborioſum et durum eſſe iudicant. Sed abiiciamus, ex mea ſententia, omnem illarum regularum apparatum et ſumamus paradigmata. Primum enim, experientia teſte, non ſunt tam difficilia, quam forte videantur; concedamus autem, ea eſſe impedita, quid inde? Quae talia ſunt, vt, ſi illa teneam, viam aperuerim ad linguae hebraicae cognitionem breuiſſimam, cur recuſarem haec memoriae mandare? At ne hoc quidem poſtulatur, vt ſimul addiſcantur. Poteſt labor hic iucundiſſime intercipi, ſi primum diſcipulis, ope nominum, particularum et pronominum, ſententiae aut verſus tales hebraei tradantur vertendi, qui ad hunc ipſum finem aut delecti aut etiam conſcripti ſunt, in quibus nihil inueniatur, quod non ex antecedentibus aut intelligi aut facile erui poſſet, nulla verbi perſona, quam nondum didicerint. Si v. c. diſcipuli eo tempore nihil praeter verbi regularis paradigma tenerent, tales verſus tantum eſſent vertendi, in quibus non niſi verba regularia conſpicerentur. Sic in quolibet nouo irregularis verbi paradigmate aliis quoque opus eſſet textibus, in quibus cognitorum modo verborum tempora et perſonae occurrerent. Tunc autem paradigmata, vti illa in plurimis grammaticis reperimus, non ſufficerent. Praetermiſſa ſunt ſaepiſſime ea, quae literam

gutturalem ab initio, in media voce aut in eiusdem fine habent.

De verbis cum ſuffixis.

§. XXX. Pars deinde valde neceſſaria eſt haec, vt praemiſſis omnibus verbis vtriusque generis, exhibeatur tabula, in qua verba cum ſuffixis proponantur, eo conſilio, vt vt etiam ſuffixa verbis affigendi ratio luculenta ſit. Non tamen requiritur, vt omnia ſuffixa cum omnibus perſonis oſtendantur. Diſcipuli, qui ſuffixorum paruum numerum memoria tenent, facile et his aſſuefiunt eaque a verbis diſcernunt, dummodo illa, quae notari maxime merebantur, non deficiant.

De vocalium mutatione per accentus.

§. XXXI. Quo loco monere velis, accentus quosdam mutare vocales, arbitrio tuo relinquendum eſt. Videntur autem vel tribus locis hac de re verba facienda eſſe, nempe in doctrina de nomine, pronominibus et verbis.

De ſyntaxi.

§. XXXII. Diligens ſyntaxeos tractatio, quae ad intelligendum textum hebraeum permultum confert et de qua in grammaticis nihil fere nonnunquam inuenitur, ab initio non exigitur a praeceptore. Quousque enim nondum diſcentes eo peruenerunt, vt ſine difficultate, qualis quaelibet vox ſit, cito videant, ad illam ſimul animum intendere non poſſunt. Quare primum paucula ſufficiunt, decreſcente autem hac difficultate, creſcere deinde debet ſyntaxeos explicatio.

De chreſtomathia hebraica.

§. XXXIII. Ex his, quae hactenus dixi, patet, me non diſcipulis ſtatim codicem ſacrum aut alia excerpta in manus tradere. Nam neque ſacer codex, neque alia excerpta ſatis idonea videntur. Quoscunque enim textus extraxeris, ſemper in illis regularia cum irregularibus erunt mixta. Liceat igitur hoc loco votum meum indicare, quo vellem, vt libellus aliquis exſtaret, aut conſcriberetur, cuius contenta huic, quam tradidi, aut aliquantulum mutatae methodo eſſent

essent consentanea. Deberet igitur hic liber primum continere caput de lectione, in quo sensim sensimque a simpliciori ad magis compositam procederetur, vsque dum in vere hebraeam transiret. Sequi haec deberet omnium formarum collectio et magnus deinde numerus substantiuorum et adiectiuorum sine ordine et confuse coaceruatus, quorum radices indagarent discipuli: postea generis, numeri et status per exempla tractatio, ita, vt status illi quatuor aut certe duo iuxta se collocarentur. Nunc traderentur particulae maxime necessariae et notatu digniſſimae et deinde omnis generis propositiones ope particularum compositae. Si postea pronominum separabilium et inseparabilium copia sufficiens allata esset, verbi regularis paradigma sequeretur cum textibns hebraeis, in quibus non nisi verba regularia, sed formae cuiuslibet numeri et status et generis, vti et pronomina, inuenirentur. Tandem cum in reliquis etiam paradigmatibus hoc factum fuisset, deberet affigi tabula eorum verborum, quae in suo coniugationis modo nimium a ceteris recedunt aut verba defectiua sunt v. c. נתן, יכל.

Opus autem esset ad haec irregularia melius in mente retinenda aliquot capitibus, in quibus pleraeque horum verborum personae cum istis rarioribus occurrerent.

Ea, quae figùrarum etymologicarum nomine in grammaticis doceri solent, hinc inde in tabulis adiicerentur.

Eiusmodi libellum cum suadeam, non inaudita antea, certe non a consuetudine aliarum linguarum abhorrentia suadeo. Semper hoc viri docti viderunt, adolescentibus non statim illos classicos autores, vt de latina loquar, Ciceronem aliosue in manus esse tradendos, in quibus rerum obseruandarum copia nimium perturbarentur. Conscripserunt igitur non modo in latina, sed etiam in aliis faciliora quaedam discentium paullatim crescenti cognitioni

accommodatiora. Cur igitur hoc in hebraica non faciamus? quando viam, qua ad eius scientiam peruenitur, faciliorem reddere nobis animus est. Ast erit timendum, ne discipuli malo linguae hebraicae genio assuefiant! Non hoc metuendum esse credo, dummodo non colloquia scribere velis, sed proponas sententias de aliqua re aliquo modo cohaerentes. Possent adeo ipsis scripturae verbis enuntiari et omnis cura adhibenda esset, vt hoc fieret.

De analysi.

§. XXXIV. His subsidiis adiuti discentes magnis textibus intelligendis et vertendis fient magis idonei minusque anxie haerebunt, quid de hoc vel illo vocabulo statuendum sit. Quae autem analyseos ratio esse debeat, liquet. Aut enim ea, quae occurrunt, sunt formae et vocabula saepius iam obuia facta, ideoque praetermittuntur, aut sunt insolentia et tum ad formas alias, quibuscum consentiant, provocatur, breui transitur et ad grauiora, phrasium nexum, loquendique hebraeis proprium modum attenditur. [f])

De secundo cursu grammatico.

§. XXXV. Non tamen nego, his omnibus praemissis restare, quae antea leuiter tantum tacta sunt et quae studiosius edisscere operae pretium est. Hoc autem fiet, oblata quadam opportuna occasione, qua accepta, nomina illa technica, quae in vsu sunt, regulae, quibus alii linguae elementa

f) Conuenit haec ratio cum methodo analytica Illustr. Michaelis, quam suadet in libro laudato: Beurtheilung der Mittel, §. 59. ita: Bey dem Analysiren muß nicht jedes Wort mitgenommen werden, so oft es von neuem vorkommt, welches unnütz ist, Zeit verdirbt und die Aufmerksamkeit stört, auch nicht das von einem Worte gesagt werden, was jeder schon aus der lateinischen Uebersetzung höret, z E. was vor ein pars orationis es sey, oder welche Person, welcher numerus: sondern nur das, was einer aus der bloßen Uebersetzung nicht siehet und dieß noch dazu ganz kurz, damit man *im explic*iren fortkomme. In diesem aber hat man sich gleichsam Gewalt anzuthun, und so geschwind zu gehen als möglich, wenn man auch gleich anfangs nicht alles behält.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn33488211 7/28 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

menta docent, si verae sunt; vlterior gutturalium, Dageſch fortis et lenis, lineolae Metheg tonique conſideratio; imo adeo noua addi poſſunt debentque, veluti de abiectarum literarum compenſatione ſimiliaque. Non inutile igitur duco ſecundum quoque curſum inſtituere et ad rationem eam, qua plerumque docetur, paullo propius accedere. Sed erit negotium neque moleſtum neque diuturnum. Facilis enim regularum a vocibus, quas tenes multumque tractauiſti, *abſtractio*. Videtur vero ea de cauſa quoque neceſſarium, vt alios, qui de ſolita ratione loquuntur eamque ſequuntur, intelligamus et ea, quae dicunt, diiudicare valeamus.

§. XXXVI. Diſcrepare hanc methodum a conſueta, non obſcurum eſt; ſed eritne eligenda? Putauerim ego quidem. Nam *Facilioris huius methodi probatio.*

1) prouoco ad experientiam virorum, quibuscum mihi loquendi copia facta erat, rei ſcholaſticae peritiſſimorum, qui affirmabant, non parum retardari diſcentes frequenti illa analyſi et tota conſueta docendi ratione.

2) res ipſa loquitur.

a) cogitet enim aliquis ſtatum eius, qui hebraicam callet, et eius, qui illam ignorat. Quae cauſa eſt, cur, quando textum adſpicit, non haereat, qui verborum ſenſus ſit, ſtatim videat, vt de punctorum permutatione ne ſollicitus quidem ſit? Quid eſt? Aſſidua textus lectione vocibus hebraeis earumque formis ita aſſuefactus eſt, vt ſatis habeat ſcire, quid ſignificent, et nihil curet, imo ſupervacaneum ducat quaerere, quomodo tales exſtiterint. Cur igitur id, quo, ſi quis habet, tam bene vti poteſt, non ſuppeditemus diſcipulis, et eo, quo breui via peruenire poſſunt, per longos anfractus illos ducamus?

 b) mul-

b) multum in hac docendi ratione ineſt arbitrarii, v. c. quod, exceptis excipiendis, voce creſcente et tono ablato, vera puncta primum in (.) mutentur et poſtea demum noua vocabuli forma et ſpecies prodeat? Annon eſt arbitrarium, v. g. ſi ex מֶלֶךְ pluralis formandus eſt, duo ſegolta primum in (.) conuertere et (ָ) deinde elicere? Quis vnquam, niſi grammatici, de hac re cogitaviſſet?

c) nihil vtilitatis exinde *in nos redundare videtur.* Quid didici, quod melius eſſet, ſi dicam: ſecunda perſona maſculini generis, ſingularis, praeteriti in Piel verbi קום ad formam קִטַּלְתָּ eſſet קִוַּמְתָּ, ſed in coniugationibus grauibus pro ſecunda radicali abiecta ſimilis tertiae ſubſtituitur et pro Dageſch forti ad primam radicalem apponitur (ו), vt ita fiat קוֹמַמְתָּ, quid didici, quod melius eſſet, quam ſi dicam: קום in 2. maſc. ſing. praet. Piel habet קוֹמַמְתָּ? Aſt, poſſet reſponderi, ratio reddita eſt, cur ita fiat. Quid hoc eſt rationem reddere, niſi dicere idem per idem et quae iam dicta ſunt? Si dico: קוֹמַמְתָּ eſt 2. maſculini ſing. etc. dico ſimul, hanc eſſe horum verborum conſuetam formam, quid igitur regula continet? rationem a priori? an a poſteriori? Ratio a poſteriori non eſſe poteſt, nam vocabulum, quod ante oculos eſt et in codice inuenitur, iam eſt ratio ſ. argumentum a poſteriori, quod ita inueniatur; ergo ratio a priori. Vnde igitur intelligo, (nam omnis a priori argumentatio, vti notum, hoc declarare debet,) cur ita fiat? Nihil eſt, ex quo intelligam. Dicit enim regula nihil aliud, niſi hoc: obſeruatum eſt multis exemplis, verba, quae habent (ו) pro media radicali, ita formari; hoc autem erat id ipſum, quod antea iam dictum eſt, ergo idem per idem. Aſt eſt regula vniuerſalis, quae ad

omnia

omnia huiusmodi verba pertinet. Idem et nos dicimus, cum paradigmata verborum irregularium exhibemus. Quid igitur vtilitatis? hoc, vt, quod facilius discere poteras, discas difficilius.

d) Confundi mihi videntur linguae, quas eo consilio discimus, vt, quid in ea scriptum sit, in nostram conuertere possimus, et eae, in quas etiam nostra cogitata transfundere cupimus, aut linguae confunduntur, quae, vti dicitur, vnilateraliter et bilateraliter discuntur. Quis autem neget, rationem, qua vnilateraliter addiscenda lingua docetur, minus continere posse, quam alteram? Sufficit enim, [g]) praecipue in principiis tradendis, voces agnoscere, quales sint et, quid significent, scire; non postulatur, vt germanicas voces sine vllo vitio in hebraicas vertere possis. Si scis, bene. Sed potes codicem magna celeritate et intelligere et vertere et tamen non tam bene ex germanica voces in hebraicam transferre. Sunt hae virtutes separabiles. Has diuersas autem methodos confundi, patet, si quis tantum doctrinam de Dageſch forti et leni, vbi ponantur et non ponantur, perlegerit.

e) non ita fit in aliis linguis. [h])

f) com-

g) Huc transscribere iuuat, quae Sum. Reuerend. D. Ernesti iudicavit sufficere, si quis tantum linguam hebraicam eo consilio addiscere cupiat, vt biblia sacra intelligat. Scripsit ita: (neue theol. Biblioth. 10. B. 9. St. n. V.) in recensione grammaticae Vogelianae: Warum soll nun einer, der nur die hebräische Sprache in den biblischen Büchern verstehen lernen will z. E. ein zukünftiger Prediger diese elende Mechanik lernen. Wenn jemand weiß, תת heist ponere oder dare von נתן, so ist es gut. Er braucht weiter nichts: so lange er kein Grammatiker werden und die Mechanik der Sprache in den anomalischen verbis wissen will. Man wird dagegen im Lesen und Erklären der heil. Schrift desto hurtiger gehen können, und nicht mit dem analysiren ganze Stunden über einen Vers verderben dürfen, wie es bey der gemeinen Leyer gehet.

h) Ex eadem hac causa improbat l. c. hanc methodum ita: Lehret man doch

f) commendat se, quia ita comparata est, vt discipuli sua sponte progressus facere possint, et haec ratio in omnibus linguis et docendis et discendis vtilissima est. Praeceptor monstrat viam, discipulus eam ingredi et emetiri tenetur. Tempus enim, quod principiis tradendis in locis publicis impenditur, nunquam sufficeret, nisi discentes ipsi assidui essent. In consueta autem docendi ratione hoc fieri nequit, nisi maxima cum molestia. Quousque enim nondum magna vocabulorum copia tractata est et ea methodo resoluta, eousque semper discentes haerent et ob nimia impedimenta deterrentur. Quamvis autem non suadendum sit, vt homines αυτοδιδακτοι esse conentur, non raro tamen sunt, quos multae causae impediunt, quominus ea loca, vbi linguae fundamenta ponuntur, frequentent. Nostro autem modo, quem tradidimus, facillime aliquis, si necessitas vrgeret, sine vllius auxilio hanc linguam ipse discere posset. Nam si eiusmodi libellus, quem suasimus, aut chrestomathia hebraica, quam ita vocare liceat, exstaret; paullo maiori quidem sedulitate et diligentia opus esse non negarem. Nunquam tamen tanta obstacula offenderet, quae cursum eius inhiberent. Quid esset in lectione, quod difficile dicendum sit? Cum germanum eum esse fingamus, iucunda potius est. Incipit lectio eiusmodi vocibus, quarum syllaboch im griechischen nicht die Anomalien so, sondern läßt es auf den vsum aukommen, und ist zufrieden, wenn man das nur weiß und merkt. Und dabey lernen die Leute doch besser und mehr griechisch als hebräisch bey jener grammatischen Mechanik. Es fällt uns eben nicht ein, wie nach der Grammaticorum Vorgeben ἐπενήνοθεν von ἀνθέω beym Homero formirt ist, ob wir es wohl gelesen haben, sie sind auch selbst nicht einig, wie und woher es formirt ist; wir haben es auch eben nicht merken mögen, und mögen den Plunder auch nicht wieder suchen oder gar wissen. Es ist uns genug, daß wir sicher wissen, es heißt efflorueraf und ist der aor. 2. und das ist auch genug.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn334882117/32 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ſyllabae vnam tantum aut duas conſonas cum vna vera vocali continent, addit deinde Schua et plures conſonantes et adiungit tandem reliquas notas diacriticas, non ſimul, ſed in aliis aliisque textibus. Hac ratione lectio ex ſimpliciſſima ſenſim ſenſimque fit magis compoſita, vsque dum a vera hebraea vix differat. In reliquis, quae nominum verborumque flexionem ſpectant, partibus, non eſt, quod gradum ſiſtat. Paucas enim et ſimplices inuenit regulas et formae cum paradigmatibus ante eius oculos ſunt. Quae cum recte memoriae impreſſit, nihil in ſequentibus inuenit, quod ex antecedentibus non intelligatur. Nec eſt, quod de paradigmatum multitudine conqueratur, ſi libellus ita diſpoſitus eſſet, vt paradigmata verborum et capita, quibus eorum tempora et perſonae intexa ſunt, alternis vicibus prodirent. Quibus ita factis, rarioribus illis exemplis et exceptionibus non amplius perturbaretur, ſed ſine taedio illis libris etiam, in quibus vulgaris methodus ineſt, vti poſſet facillime.

3) Videor mihi obſeruaſſe, alios viros non minus hanc difficultatem ſenſiſſe et operam dediſſe, vt remoueretur. Aliter enim v. c. Biedermanni rationem non interpretor, qui in ſua exiguae molis grammatica tamen formas nominum in ſtatu conſtructo appoſuit, verba cum ſuffixis, particulas etiam cum iisdem et excerpta quaedam ex ſacro codice adiunxit. Omnia vero haec multo melius Adi. Vogelius [i]) praeſtitit in ſua grammatica. Non modo

i) In ratione autem, quam Vogelius aliis in diſcendis linguae hebraicae elementis ſuadet, noſtram non ſequitur. Cum grammatica eius cum illis, quae nos conſuluimus, bene conueniat, methodus autem illius, quae tamen maximi momenti res eſt, longius a noſtra recedat; digna eſt, quae paullo accuratius perpendatur. Paucis verbis primum illam ita exponit in introductione grammaticae

do enim omnem illam de vocalium permutatione doctrinam omisit, sed etiam analysin istam copiosam reiecit et hac de causa paradigmata nominum in statu et absolu-

tuae praefixa. §. 3. Man lerne die hebräische Sprache nach der nämlichen Lehrart, nach der man die lateinische und griechische gelernet. Man lerne erstlich die Consonanten und Vocale kennen, übe sich sodenn eine Fertigkeit im Lesen zu erlangen; und gehe gleich darauf zu der Erlernung der Paradigmatum fort; hat man alle ihre Characteres inne, so übe man sich eine Zeitlang im Analysiren. — Im Analysiren? Ja! ich widerspreche mir nicht. Denn ich rede von einem andern Analysiren, als dem gewöhnlichen Paullo fusius haec tria explicat, vt 1)quaerat, num discipulis in addiscendis literis consonantibus ferendum sit auxilium. Postquam deinde duos modos, quibus hoc saepissime fieri solet, exposuit, examinauit, et inutiles adeoque molestos esse declarauit, totam rem praetermittendam esse iudicat. De Paradigmatibus autem haec 2) habet. Vult, vt philebraeus ante omnia coniugationem Kal discat, vt non tantum eam sine haesitatione recitare sed etiam omnes temporum, personarum, numeri et generis notas indicare queat; hoc autem facto, vt sat multa aliorum verborum exempla proponantur, quorum conuenientiam cum paradigmate obseruet. Qua ratione si satis exercitatus est, progrediendum putat ad coniugationem Niphal, in eaque addiscenda, vti in omnibus reliquis verbi regularis et irregularium coniugationibus, eundem ordinem seruandum esse existimat. 3) Analysin, quam requirit, ita vtilissime institui sibi persuadet, vt, periodo lecta, discipulus indicet, qui sit nominis numerus et status, quod verbi tempus, qui modus, quae eius persona; ne, quae antea memoriae tradidisset, ex ea rursus elabantur. Postulat autem, vt haec analysis cito finiatur ideoque ab initio tantum adhibeatur. Quantum igitur ex his colligitur, methodus illius haec est: 1) Discit tiro legere suis maxime viribus, 2) discit omnia verborum regularium et irregularium paradigmata, 3) discit nominum paradigmata 4) post haec modum particulas frequentissimas praefigendi, et his omnibus animo bene comprehensis, 5) incipit vertere textus hebraeos in aliam linguam et vocabula, quae occurrunt, cum paradigmatum norma comparat, quod tamen per longum temporis spatium non faciendum est. Haec vero methodus, me quidem iudice, nullo pacto probanda erit. Quid enim illa posset esse molestius, quid iniucundius? Annon discentes defatigatum iri, credibile est? cum a principio vsque ad finem nulla fere animi facultas, quam memoria, occupetur? Num igitur iure meritoque in lectione discipu-

to et conſtructo, verborum et particularum cum ſuffixis exhibuit, eiusque grammatica, ſi quis ea recte vtatur, huic conſilio noſtro eſt accommodatiſſima.

E 2 *Schol.*

ſcipulis opem ferre recuſet, de eo iam dictum eſt ad §. 9. Quod autem ad verborum paradigmata attinet, quae ante nominis tractationem proponit, nec hac in re eandem foueo ſententiam. Dubium nec eſt nec eſſe poteſt, nomina a verbis deriuari, mallem tamen regulae ei obtemperare, quae a faciliori ad difficilius nos pergere iubet. Quaenam enim ſunt illa, quae ſuadent, vt verba nominibus praeponantur? Haec fere: 1) naturae conuenientius eſt fontes adire antequam ad riuos peruenias, 2) quia clarius intelligo, a qua coniugatione deriuata ſint, 3) quia forte ex coniugatione, cui vox quaedam originem ſuam debet, huius ſignificationem inuenire poſſum. Sed reſpondemus, 1) non ſemper methodum naturae, quam vocant, eligendam, imo derelinquendam eſſe, ſimulac difficultates inde exoriantur. 2) Si claritas ea ſcientiam noſtram non adeo augeat, vt commoda, quibus illius ope potimur, maiora ſint incommodis, quae inde proficiſcuntur, ad eam non eſt attendendum, 3) incertiſſima haec eſt ſignificatus reperiendi ratio. Praeterea nemo negabit, in verbis plus implicationis eſſe, quam in nominibus. Poſſunt igitur ea, quae de verbis praemittenda eſſe diximus, ſufficere, vt hoc modo diſcipulorum ſcientia paullatim creſcat et non ſtatim nimis grauia onera humeris eorum imponantur. Noſtram autem viam ſi velint ingredi, poſſunt nonnunquam a labore quaſi requieſcere, cum interdum parua quaedam capita vertant; et doctrinam, quam acceperunt, confirmare, cum nihil praeter ea, quae iam tractauerint aut quae tamen iis ſimillima ſint, inueniant. Sin autem verba nominibus praepoſita fuerint, omnibus his priuantur et nulla niſi Vogeliana methodus relinquitur. Quod ſi enim dicas, te, coniugationibus Kal et Niphal cum toto paradigmate regulari expoſitis, traditurum eſſe formas nominum, quae ex illis regularibus naſcerentur et hoc pacto multas propoſitiones componi poſſe, quibus diſcentes in vertendo exercerentur; quaero igitur, qui hoc fieri poſſit? Nihil enim de plurali, nihil de caſuum ſignis dictum eſt. Aut igitur hoc loco nominum tractationem inferas neceſſe eſt, (ſed quid hoc eſt aliud, quam nomina verbis praemittere?) aut exercitatio tua nihil habet varietatis et eſt anguſtis circumſcripta limitibus Quo maioris igitur momenti res eſt docere cum minima, qua fieri poteſt, diſcentium moleſtia, praecipue in lingua, quae difficilis habetur, eo magis haec noſtra ratio eligenda eſſe videtur.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn334882117/35 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Schol. Quae hic de lingua hebraica diximus, non omnia quidem, nisi paullulum mutentur, de aliis linguis orientalibus asseri poterunt. Quid enim haec doctrina de Dageſch aut tono in lingua ſyriaca aut arabica? Ea autem, quae de formis, nominibus et verborum paradigmatibus dicta ſunt, in aliis quoque locum habent. Omnibus igitur, qui in hebraica iam profecerint et alias [k]) addiſcere cupiant, ſuaderem, vt, ſi docens alio ordine vteretur, ſua ſponte hanc noſtram rationem ſequerentur. *Confirmabit ſententiam noſtram experientia.* Moleſtia, quam in paradigmatibus diſcendis ſentirent, et quam valde minuere poſſunt, dummodo non omnia vno tempore memoriae infigere velint, largiſſime et iucundiſſime compenſaretur facilitate acquiſita diſcernendi, qualis quaelibet vox ſit, et textus integros intelligendi.

De conſueta methdo non meliori neque accuratiori.

§. XXXVII. Poteſt autem conſueta illa methodus huic noſtrae videri praeferenda, cum in illa omnes fere literae et vocales excutiantur, et cum eo magis neceſſarium ſit omni diligentia in voces inquirere, quo maioris momenti res ſunt, quae tractantur, rebus autem in ſcriptura ſacra contentis nihil poſſe eſſe grauius, nihil omni cura et animi intentione dignius. Habent haec reuera aliquid ſpeciei. Sed re-

k) Quod ego de hebraicis paradigmatibus expoſui, id Clariſ. Hezelius expreſſis etiam verbis in grammatica ſua arabica aſſeruit de paradigmatibus arabicis. Sunt eius verba, quae cum opinione mea admodum conſentiunt, haec l. c. §. 49. Man pflegt den arabiſch-lernenden das conjugiren auf zweyerley Art zu lehren. Man giebt ihnen entweder Regeln, oder man weißt ſie auf Paradigmata. Ohne Zweifel machen es die erſtern ihren Lehrlingen ſchwer. Ehe ſich einer dieſe Regeln bekannt macht, und ehe er noch anfängt ſie anzuwenden, kann ein anderer, der ein Paradigma einige male überleſen hat, ſchon conjugiren. Ich erwähle daher dieſen leichtern Weg und verweiße auf die Conjugations-Tabelle.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn334882117/36 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

respondemus, esse hunc canonem hermeneuticum, non grammaticum. Si de verborum sensu sermo est, neminem negamus legitime ratiocinari posse: Quo maioribus bonis priuaremur malisque affligeremur, si sensus verborum, de quo quaeritur, falsus esset, eo cautius et circumspectius agendum est, ne erremus. Sed in discendis grammaticae principiis, quae apud omnes eadem sunt, canone hoc opus non est. Nulla alia, quam quae ad alias linguas discendas affertur, diligentia requiritur. Cum principia grammatica linguae hebraicae non minus certa sint, quam in aliis linguis et in earum applicatione minus quam in recto regularum hermeneuticarum vsu errari posse videatur, quid iste canon? quid commercii illi cum quaestione, quomodo grammaticam hebraeam breuissime percipiam et huius ope textum hebraeum intelligam? Nec est illa methodus magis accurata. Quae enim, illa auxiliante, paullatim accipio, iis, hac mediante, simul potior.

Num haec docendi discendique ratio sit minus solida.

§. XXXVIII. Reliquum est, vt respondeamus ei, qui hanc docendi rationem minus solidam esse existimaret. Solidae cognitionis notionem perpendamus, et, quid statuendum sit, apparebit. Solida cognitio est in claris rerum notionibus, argumentorum veritate et firmitate, in recta, quod cuilibet rei tribuendum sit momentum, intelligentia, et in eiusmodi scientia, in qua nihil desit, quod iure ad eam pertineat. Sic philosophicam, sic omnem aliam cognitionem dicimus solidam. Applicemus igitur hoc ad linguas, quae bilateraliter et vnilateraliter discuntur. Illas solide aliquis intelligere dicendus erit, qui dicat et scribat, vti homines eiusdem linguae omnium consensu peritissimi loquuntur et optimi auctores scripserunt. Habet enim partium linguae essentialium vocumque claras notiones, argumenta eius firma sunt, cum nitatur praestantissimorum virorum consue-

tudine et vſu et omnibus partibus illud, quod debet, momentum tribuit. Quid etiam ei, qui ita diceret et ſcriberet, deeſſet, quod adeſſe deberet? Linguam autem, quae vnilateraliter diſcitur, intelliget ſolide is, qui in verbis vertendis et explicandis, quatenus grammaticis principiis ſenſus erui poteſt, nec obiectiua notionum obſcuritate impeditur, eundem reperit, quem alii, quos linguae ſcientes iudicamus, in illis inuenerunt. Habet enim hac ratione claras notiones, quia non diuerſae ſunt ab aliarum ideis, eius interpretatio firma eſt, cum, ſi verba, quae vertit, in dubium vocentur, prouocare queat ad alia exempla, quae eodem modo comparata nec aliter ab aliis verſa ſunt, quam ipſe ea intellexit. Nulla denique pars deeſt, quae requiritur. Patet igitur, diuerſitate rationis, qua aliquis ad hanc peritiam peruenit, cognitionis ſoliditatem non mutari, niſi quis in anteceſſum, ſed precario ſumſerit, ad ſolidam cognitionem linguae hebraicae pertinere regularum iſtarum recitationem et obſeruationem. Deinde expreſſe diximus, nos non opinari, hoc primo curſu, quem vtiliſſimum putauimus, doctrinam omnem hebraicam abſolutam eſſe, ſed accedere poſſe et debere manuductionem ſecundariam, qua, quae antea minus neceſſaria et rariora erant, ſed ſcitu digna, adſpergerentur et, cur haec vel illa puncta, quae in ceteris formis et exemplis locum habent, alicubi non inueniantur, ſed mutata ſint, quoad fieri poteſt et conuenit, indicetur.

Num facilior ſit linguam hebraicam docendi ratio, ſi ab alia orientali incipiatur.

§. XXXIX. A quaeſtione noſtra magis aliena eſt illa, num facillima linguam hebraicam docendi diſcendique ratio ſit, ſi ab arabica aut ſyriaca incipiatur. Ineſt in hac quaeſtione aliquid ambiguitatis. Modo enim latiori, modo ſtrictiori ſenſu accipitur. Strictius ſumitur, cum alium docemus partium linguae hebraicae eſſentialium naturam et mutationes, decli-

declinationem nempe et coniugationem, modum connectendi et syntaxin, cumque illum eo perducimus, vt satis magna verborum copia instructus, sua ipsius opera, cognitionem suam amplificare queat. Latius autem dicitur, cum praemissis his, quae diximus, id modo spectamus, quomodo tutissime et facillime inueniatur, quaenam cuilibet voci significatio tribuenda sit. Melius igitur in has tres alias quaestiones distinguitur: 1) quam linguam orientalem primum discere oporteat, hebraicam, an aliam, 2) quomodo significationes vocum hebraicarum tutissime et certissime indagentur, 3) num is, qui hebraicae linguae principia discit, et breuius et facilius eorum cognitionem sibi comparet, si syriacam aut arabicam antea acquisiuisset. Ad duas priores respondet Illustr. Michaelis, a syriaca incipiendum esse, [1]) sed sunt illae ab eo, quod nos quaerimus, paullo remotiores. At tertiam autem quod attinet, considerandum est antea, num quis quaerat: an vno eodemque tempore, quod in hebraica discenda consumsisset, arabicam aut syriacam vna cum hebraica comprehendere possit memoria. Hoc neque mihi placet, neque aliis placebit. Tanta enim linguae hebraicae et illarum similitudo non est, vt, si harum elementa didicerim, illius quoque principia teneam. Quod si autem hoc sensu interroget, num is, qui alterutram iamscit, breuius et facilius hebraica elementa retineat, quam si eam nondum didicisset, hoc vtique affirmandum est ob harum linguarum similitudinem. Sed accidit etiam vice versa, vt is, qui ab hebraica incepit, reliquas breuius et facilius intelligat, quam si his subsidiis destitutus ad eas accessisset.

1) in libris iam citatis: Beurtheilung der Mittel. §. 55. et clarius in libello: Von der syrischen Sprache §. 4.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn334882117/39 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

THESES.

Si quis iustitiam definiat ita, vt illam dicat bonitatem esse sapienter administratam, contra vsum loquendi definiuisse putandus est.

Qui mala moralia ex limitatione consequi existimant, verbis quidem ea concedunt, reuera autem negant.

Multa Deus necessario vult, ex necessitate, in sanctitate eius et iustitia deprehendenda, sed saepius ex multis possibilibus eligit, quorum nullum necessario praefert.

Libertas voluntatis diuinae non probatur, si modo affirmetur, eum cogi non posse, nil coacte facere, et independentem esse.

Finis primarius et vltimus, quem Deus sibi in hoc mundo creando proposuit, non est felicitas spirituum finitorum.

Lingelsheim, 21. Feb.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn33488211 7/40 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG